

certo illud constare, Gallorum, Ticino amne trajecto, baud parum diminutas, nostrorum auctas copias esse: post Mediolanum Gallico impetu occupatum nullo incommodo nostros affecisse; licet tunc Proregi, præter Germanos, qui Ticinum tuerentur, sex Hispanorum, quatuor Italarum peditum millia tantum adessent: contra vero non parva hostibus damna nostros intulisse. Quis nescit postea Helvetios multos, complures Italos a Gallo discessisse? manum militum baud exiguam cum Duce Albanie Neapolim versus contendisse? Rhetorum tantummodo quatuor millia; mille Sedunenses accessisse? Nos vero sex Italarum, septem Germanorum millium numero copias auxisse? ut, si acie certandum sit, numero aut superiores, aut certe non impares futuri simus? ut interim militum robur, ac fortitudinem, Ducum dexteris victoriis assuetas, militarem disciplinam longo labore, & periculis partam silentio præteream, quibus nos longe Gallis antecellere compertum est. His mille, ac sexcenti leviores equites accedunt, qui numero, & virtute præstant; cataphracti præterea, qui nulla ratione sint conferendi cum Gallicis sexcentis nuper cum Albanie Duce in Neapolitanum regnum profectis. Ad hæc civitates munitissimas, incolas Cæsaris nomini addictissimos, hostibus insensissimos habemus: quæ omnia certam apud nos victoriam fore pollicentur; cum præsertim septem Germanorum millia, equitum quoque non exiguus numerus propediem in castra venturus sit. Neque vero ignoramus, quæ malevolorum hominum vocibus in vulgus iactata circumferantur; Insubrum imperium pro se arripere Cæsarem velle; id ne vi facere videatur, hoc obtentu tegere, quod ingentem auri vim in illo protegendo effusissime exhauserit: rem sane tanto Principe indignam, qui fidem, pietatem, iustitiam omni tempore summopere coluerit; neque ullis vel ingentibus præmiis propositis averti ab officio potuerit. An non id aperte ostendit, Franciscum Sfortiam in fœdere Ducem Mediolani declarasse? a Senatu petiisse, ut Helvetii ad Italiam, in primisque ad Insubrum ditionem tutandam asciscerentur? Huiusce rei si qua in animis vestris hæret suspicio, Prorex, qui Imperatoris mentem multis argumentis, & literis optime perspectam, & cognitam habet, vadem se, ac sponsorem, si ita Senatui libuerit, fore pollicetur,